

posito, quamuis ipsa tamen nebulam parias, & bona mater fies: nulla tu aliena ope indiges; iccirco natura naturam conseruat, adeo vt natura ab opere naturæ non separatur: Facilis est res, facilis cognitio, & omnino vilis, multis tamen est miraculo: tua quoque solutio magna est exornatio, omnesq; tui amatores supra nominantur. Et hoc valde arcanum, obscurumque est, atque vnicuique videtur impossibile.

EXPLICATIO.

MI fili scito, quod lapis noster talis res fiet, vt non tantum de eo scribere quis possit, quantum in se habeat. Lapis enim est, & aqua per vaporem fit, & tamen nullus lapis est, & si in aquosam speciem à labore venerit, quando illum primo accipimus, vel adferimus, tunc aqua est instar aliarum fluuiarum aquarum, à specie fluens & tenuis, à natura tamen nulla illi aqua in toto mundo similis: Vnus siquidem dumtaxat fons in terra est, quo ex aqua ista adfertur: fons ille in Iudæa est! fons saluatoris, vel beatitudinis appellatur, & Philosophi magno labore, per singularem Dei gratiam, nobilem illum fontem inuenerunt, qui admodum in arcano loco situs est, magnumque effluxum habet, adeo vt illius aqua super totum mundum fluat, omnibus ille notus est, nemo tamen verū fundamentū nouit, quomodo, & via, quis ad fontem illum peruenire queat, pauci etiam aquæ illius scaturiginem norunt, viam in Iudæam, ad reperendum nobilem istum fontem, ignorant: & qui rectum fontem non nouit, is numquam ad veram artem peruenit. Eapropter
Philo-

*p. 401.
Thythy hinc Vol 7.
p. 720. vid.
Humid. radical.
in loco Lolis
venerunt*